



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Die octava Februarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

cum qui *Comines* dicitur, per duo ferè miliaria ambulauit. Quo in loco etiam num. quiescit ad Lisam in collegiata ecclesia, à beato Eligio eleuatus: locus enim est Tornacensis diœcesis.

Cur autem episcopus pingatur & honoretur, non ausim affirmare. Fieri potest quod derelicto episcopatu, huc uenerit: aut quod huc venturus titularis fuerit episcopus, aut denique cum Piato presbytero ut episcopus honoratur, quia cum eo fuit Apostolus Tornacensium. Neque mirari oportet, si priuatae ecclesiae de suis Apostolis, et si presbyteris, officium canant Episcoporum, cum etiam Romana ecclesia de Euangelistis legat officium Apostolorum.

2^o. De S. Amoluino, episc. & abb. Lobijs.

Ex Chronicis, & alijs monumentis Lobij.

Lobijs, beati AMOLVINI, episcopi & confessoris. Fuit autem abbas & episcopus. Siquidem Lobium locus regius, regia munificentia exstructus, nulli committebatur, nisi primum esset ordinatus episcopus, sicut hoc competebat nouellæ fidei rudimentis. Quæ dignitas perdurauit in aliquot sancti Ursuari successores. Vnde in dicta abbatali dignitate, nonnullæ supersunt reliquiae. Natalem habet Lobijs, ubi resedit, & quieuit: item Binchij, quo translatus est.

Die octaua Februarij.

De S. Maingoldo, mart. & Duce Huiësi.

Ex officio Cleri Huiensis.

IN Hoyo, sancti MAINGOLDI, Ducis & martyris, Hugonis regis Anglorum filij. Hic dux de nobili prosapia Francorum & Anglorum duxit

duxit originem. Patrem enim habuit Higonem regem Anglorum, sororium Osualdum martyrem, regem Nord-hamborum, auunculum vero Arnulphum Imperatorem, à quo in uxorem accepit, adaucta dote, Ge lam, viduam interfecti Wilhelmi, Comitis Hannoniensis. Cæterum nobilitati insigniorem adiecit titulum, dignum pœnitentiæ fructum. Cùm enim aliquamdiu contra Albricū ducem, Wilhelmi interfectorem, eiusque typho adherentes, vxoris suæ bona partim iure, partim vim vi repellendo, defenderet, interfecit fuorum suorum incendiarium, & prædonem, Balduinum ducem, qui corrupto nomine appellatur Beuinus. Sed in patris necem vindices surrexerunt quatuor liberi. Vnde cùm dissidiorum & malorum fomenta crescerent, sanctus Meingoldus militiæ abrenunciavit: seque per compunctionem mundavit, & Deo mactauit. Integro enim septennio pœnitentiam egit de homicidijs, cæterisque peccatis. Postmodum recessit ad oratorium sanctorum martyrum Timothei & Symphoriani, quod situm est ad confluentiam Hoij & Mosæ. Is enim locus, cum appendicibus, ei donatus erat ab Imperatore. Eodemque in loco, cùm post sæpius postulatam concordiam, nondum extincta esset antiqua ira, dum ad templum iret, ab Inghelfredi consanguineis mactatus est. Sed à Deo multis miraculis post necem celebratus, & à clero ac plebe inter Dei martyres honoratus est. Natalem celebrant Canonici Hoyenses die octaua Februarij. Translatio cum sancti Domitiani translatione concurret die decima quinta Iunij, sed ob concursum sequenti die recolitur. Habet ergo Hoyenses ci-

ues, beata præunte Maria, duos patronos, Domitianum & Mengoldum, quorum præsentia eis erit in damnationem, si eos non imitentur per bonæ vitæ executionem.

Nona die Februarij.

De sancto Anberto, epif. Rothomagensi.

Ex Angrado, Chronicis Flandria, & Fontanella, & ex Martyrologio Blandinij.

IN territorio Rothomagensi, monasterio Fontanella, natalis sancti ANSBERTI. archiepiscopi, & confessoris.

Qui ex regimine Fontanellæ, assumptus est post sanctum Audoënum, in episcopum Rothomagensem, sub quo dicta ecclesia floruit, sicut monasterium ante floruerat. Creuit gratijs, decreuit metallis. Delatus verò apud Pipinum principem, humiliter subiit exsilij ærumnam in Altomonte, Hannoniæ monasterio. Vbi etiam mortis quiete dormiens, transijt ex hoc sæculo. Post mortem petijt referri Fontanellam, vbi dudum, regulari ordine Domino militauerat. Vnde Halidulphus, abbas Alti-montis, summo honore corpus eo detulit, linteis ceratis obuolutum, & sic vestitum, sicut sanctis altaribus assistere consueuerat. Quod factum est anno sexcentesimo nonagesimo quinto. Historiam vitæ grauitè sub idem tempus conscripsit Angradus monachus, ad Hilbertum, quartum abbatem Fontanellæ, hoc est, ad proximum sancti Ansberti successorem. Quæ apud dominum Surium extat ad hunc diem. Corpus eius cum corporibus sanctorum Wandregisili & Vul-